



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius**

**Ginther, Anton**

**Augustæ Vindelicorum, 1733**

**VD18 12431648**

Consideratio CXLIV. Felix fors, beata mors, obdormire in gratiosa umbra crucifixi Jesu Salvatoris nostri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



## CONSIDERATIO CXLIV.

Felix fors, beata mors obdormire in umbra Crucifixi Jesu Salvatoris sui.

*Obdormiuit in umbra Juniperi. 3. Reg. 19. 4.*

I.

**E**Lias Prophetarum Zelosissimus inter tot persecutiones, cum ubique à militibus sceleratissimæ Reginæ Jezabelis ad necem quæreretur, nullum securius reperire poterat refugium, quam in umbra spinosæ Juniperi, ubi lassus & exhaustis viribus jam jam, prout existimabat, moribundus suam expectabat ultimi-

3. Reg. 19. 4. *amam sortem ac beatam mortem: Petiuit anima sua, ut moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quam Patres mei; projectitque se, & obdormiuit in umbra Juniperi.*

Per hanc Juniperum communiter Sacri Doctores crucem D. N. J. Christi intelligunt, sub cujus umbra Elias & vivere, & mori voluit: *Elias, ait Rupertus Abbas, confugit ad vivificum crucis lignum, illic ambic mortem, illic festinat commori Christo.*

Rup. Abb.  
lib. 5. in Reg.  
c. 20.

Anima Christiana! non poteris in hac mortali vita tua meliorem sortem ac feliciorem mortem invenire, quam si confugias sub umbram Dominicæ crucis, & ad extenta Crucifixi Redemptoris tui brachia; unde S. Augustinus multoties ad Amorem suum crucifixum suspirabat: *Inter brachia Salvatoris mei & vivere volo, & mori desidero.*

2. Elias sub dicta Junipero non mortem sed vitam novam invenit, aderat enim in tempore nuntius cœlestis Angelus confortans divinum Vatem, & panem subcinericium cum vase aquæ ei subministrans: 3. Reg. 19. 7. *Surge, comede, grandis enim tibi restat via, videlicet usque ad montem Horeb, ut ibi in spelunca videret, & audiret DEum. Surrexit ergo Propheta, comedit & bibit, & ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. En pulcherrimum typum languentis & SS. Eucharistiâ roboratæ ex hac vita mortali ad meliorem transeuntis animæ. Subintrat hic S. Bern.*



Bernhardus: *Bona, inquit, & desiderabilis umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratum sessis refugium &c.* Pro reflexione morali hic <sup>S. Bernhard.</sup> advertite: <sup>serm. 2. super Missus est.</sup>

Restat & tibi, anime mi, qui hæc legis, adhuc grandis via ad culmen perfectionis, & grandior adhuc ad cælum empyreum; Surge proinde à somno tuæ tepiditatis, & comede sæpius in animo contrito & humiliato, tum sanus, tum ægrotus panem illum subcinericium, hoc est SS. Eucharistiam, & ambulabis in virtute cibi illius usque ad montem Horeb, ubi videbis Deum deorum in Sion, non amplius crucifixum, sed ut Regem gloriæ ac Judicem vivorum ac mortuorum. O quam bene tunc tibi erit, si nunc vitam tuam cum Crucifixo JESU conformaveris. Tunc verificabitur illud Davidis: *Et si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es;* <sup>psal. 22. 4.</sup> Et illud Apostoli: *Ut spes nostra firma sit pro nobis: scientes quod sicut socii passionum estis,* <sup>2. Cor. 1. 7.</sup> *scrueritis & consolationis.*

3. Aptè autem Elias in tribulatione sua umbram Juniperi, & non alterius arboris elegit, umbra enim Juniperi serpentes fugat, & longè à se venenata repellit animalia, saluberrimas insuper progignit baccas, quæ si dente jejuno mastificentur, tempore pestis & contagionis juxta Medicorum effatum ad conservandam hominis sanitatem apprimè sunt habiles & proficuæ.

CruX Dominica non duntaxat corpus morbidum curat, sed & animam lethali peccatorum lue infectam sanat. Testis est illa Mulier <sup>Brev. Rom. 3. Maij.</sup> gravissimo laborans morbo, cui cum ex consilio S. Macarii Jerofoly-<sup>3. Maij.</sup> morum Episcopi CruX Dominica à S. Helena recens inventa admo-<sup>veretur, sine mora sanata, & ad novam vitam resuscitata est; unde</sup> Ecclesia: *Ad crucis contactum resurgunt mortui, & Dei magnalia reserantur.* Juvat hic audire Venerabilem Thomam Kempensem, ita in laudem <sup>Tho. Kemp.</sup> S. Crucis perorantem: *O verè beata crux! Per te damones fugantur; per te pigri* <sup>part. 2. serm. 20. ad Novit.</sup> *infirmi curantur; per te pavidi confortantur; per te vitiosi mundantur; per te devoti excitantur; per te superbi humiliantur, per te duri compunguntur; per te devotissimis irrigantur.* Et pergit idem Didacticus: *CruX Christi est amantibus lenis, tristibus solatiofa; pœnitentibus benigna; Sanctis Angelis honorabilis; hominibus amabilis, dæmonibus terribilis, despecta superbis; accepta humilibus; aspera carnalibus; dulcis spiritalibus; insipida stultis; affectuosa devotis; affabilis pauperibus; consocialis peregrinis; amicabile afflictis; consolabilis infirmis; confortabilis morituris. Quid pulchrius, quid honorabilius de Sancta Cruce?*

4. Cæterum observant inter alia memoriæ digna Sacti Scriptores de Christo Domino, quod plerumque post solis occasum ægros & infirmos curaverit. Ita S. Matthæus: *Vespere autem facto omnes male* <sup>Math. 8. 16.</sup> *habent.*







6. Ubi mitissimus Servator orbis duos dæmoniacos sanavit, & dæmones obsecrantes in porcos ingredi permittit, observat S. Matthæus, quodd navigando per mare in patriam suam redierit: *Et ascendens in naviculam transfretavit, & venit in civitatem suam.* Et quare non pedes, prout alias solebat, in patriam suam se contulit? R. Didacus Niff. Salsas maris undas Christus transmisit, ut in patriam suam perveniret, per quod docebat nos, per amaritudines, scopulos adversitatum, fluctus ærumnarum contendendum nobis esse ad cœlestem patriam. Ecce ipse prævit per mare passionis, monstrans nobis viam, & iter nostrum ad cœlum facilitans. Audiamus, & attento animo consideremus S. Augustinum: *Eja, inquit, fratres mei! ardentè desideremus propriam patriam: peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus; festinemus tamen. Ascendamus navem fidei simul & crucem; nec desit anchora spes nostra salutis. Extendamus funes, diversas virtutes, vela charitatis colligamus; invocemus ventum prosperum verbum Dei; exhauriamus sentinam à peccatis; per elemosynam mundetur conscientia &c.*


7. Sanctos Martyres attendamus, quàm læti, exemplo Christi crucifixi animati, ad beatam mortem sese præparaverint. S. Andreas Ap. videns de longè crucem sibi paratam, eam dulcissimè salutavit: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diù desiderata, sollicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata; accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Cùm ad crucem pervenisset, ipse sibi vestes detraxit, easque carnificibus donavit, à quibus cruci affixus & in altum sublatus ad populum circumstantem de DEO & Crucifixo JESU loquens, plura animarum millia ad veram & orthodoxam fidem convertit. Biduum hæsit in cruce, sic enim cupiebat amor, sic merebatur patiendi desiderium; Et cùm novi Christiani illum vellent de cruce deponere, sublatâ voce exclamavit: *Nepermittas, Domine JESU Christe, samulum tuum, qui propter nomen tuum pendo in cruce, solvi, sed suscipe me, tu Magister mi Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem videre desidero: Suscipe, Domine JESU, spiritum meum.* Ad quod ingens splendor Andream circumdedit, sicutus coruscus & lætus abiit ad Magistrum suum JESUM. O felicem sortem, sic posse occumbere mortem.

Matth. 9. 1.

Didac. Niff. Salsas maris undas Christus transmisit, ut in patriam suam perveniret, per quod docebat nos, per amaritudines, scopulos adversitatum, fluctus ærumnarum contendendum nobis esse ad cœlestem patriam. Ecce ipse prævit per mare passionis, monstrans nobis viam, & iter nostrum ad cœlum facilitans. Audiamus, & attento animo consideremus S. Augustinum: Eja, inquit, fratres mei! ardentè desideremus propriam patriam: peregrinationem istam, quæ nos ab ea adhuc detinet, toleremus, non amemus; festinemus tamen. Ascendamus navem fidei simul & crucem; nec desit anchora spes nostra salutis. Extendamus funes, diversas virtutes, vela charitatis colligamus; invocemus ventum prosperum verbum Dei; exhauriamus sentinam à peccatis; per elemosynam mundetur conscientia &c.

S. Aug. 1. 2. de discipl. Chr. c. 2.

Jo Nadaf. 30. Novemb. & passim alii.



Ginther Unus pro omnibus.

Zzz

CON-